



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,  
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

**Nieremberg, Juan Eusebio**

**Paderbornæ, 1711**

Decas VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](#)

vindictam, aut atrocius aliquid in periculi, quod metuunt, aversionem; & quia animus deest, armantur insidiis. Demum ut securos se reddant, evertunt omnia, semper timentes, nisi prostratos videant, quos timuerint. Penè prodigos dixerim, cùm tantis impendiis emant securitatem.

49. Non minùs metuendus est, qui metuit egenus esse. Nam avaritia magistra est crudelitatis, & quod deest virium, supplet nequitiā: imò atrocior est, cùm infirmior.

50. Ubi nihil speres, nihil quoque est, quod metuas. Malum absque remedio, timere omnia absque discrimine. Qui ad omnem motum pavescit, ante necessitatem angitur ultrà necessitatem affigitur. Quodsi in se redux non collegerit vires, cassa quoque erit omnis præventio.

*DECAS VI.*

51. Si semper memineris te hominem esse, calamitates non videbuntur insolitæ; & si respexeris ad alienas, credes tuas esse minores. Decrescunt magna compariatione majorum.

52. Interest, quâ parte res apprehendas:

C4

indē

indè tutius est, unde te non urant. Pauci infelices sunt, nisi comparatione feliciorum. Infelicitas si communis sit omnibus, aut solatur, aut non affligit. Miseria, quam in altero majorem vides, nomen infortunii amittit.

53. Quid venaris in campo alieno? domi tuæ habes, unde gaudreas, unde beatus sis. Corpus animusque ritè dispositus optimum est lætitiae condimentum. Ci-  
būm fames obsonat, non aroma.

54. Temperantia dulcia dulcorat magis gustumque irritat. Amara est omnis vo-  
luptas, quæ non conditur licito: intrita cum virtute dulcissima est. Conscientiā bonâ dulcescunt adversa omnia.

55. Nemo hostis tam vilis, qui timen-  
dus non sit. Quin quò vilior è promptior ad nocendum. Volenti obesse, aut nolen-  
ti annuere, nunquam color deest. Pericu-  
la contempta revertuntur citissimè.

56. Lucrosa distractio est bonum con-  
fortium: malò virtus corrumpitur, & or-  
batur fide ac luce sua. Consilium bonum  
dirigit, exemplum animat. Utrumque in  
bonis reperire est: docent bona, & alli-  
ciunt.

ciunt. In perversis contrarium habetur: malè s'vadendo perdunt, malè agendo ruborem tollunt. Inter plures malos facile est periclitari aliquem bonum.

57. Multas injurias dissimulatio sepelit. Earum non ille solùm causa est, qui infert ex odio, sed qui accipit cum imprudētia.

58. Non videri sensisse injuriam, innocens est vindicta. Lædens intendit affliger, Iæsus autem dissimulando vicem reddit, fruistrans spe pessimum offendrem, & torquens in malitia sua.

59. In rerum eventibus non expedit commoveri; saltēm sensum nè monstraveris. Si adversum quid est, dissimula, nè hosti gaudium parias; si sors prospera, non plaudere nè ambitiosum irrites.

60. Ibi miles urbem aggreditur, ubi debilior est. Cur te detegis hosti tuo, ubi infirmus es, ubi feriri potes? Prudentis est sensum tegere, nè quis noverit, ubi possis vulnerari.

### DECAS VII.

61. Ut alterum possideas, affectibus ejus invigila. Hac porta muros subibis, & animum occupabis. Artis est nosse place-

C 5

re,